



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Franciscvs Bencivs Ex Societate Iesv. Odoardo Farnesio Principi, S.P.D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368



FRANCISCVS

BENCIVS EX

Societate IESV.

ODOARDO FARNESIO

Principi, S. P. D.



*Ecte sanè ac sapienter,
ODOARDE FARNESI,
eruditi homines ac literis
dediti, plurimum sibi præ
sidij ad omnem vitæ cultum & fru-
ctum, in nobilium virorum & omni
dignitate principum patrocínio posi-
tū esse voluerunt: ex quo factū est, ut
non tantū, quod Aristippus dicebat
potentiorum ædes celebrent, sed etiā
nihil literis mandent, quod non eo-
rum, quos sibi colendos susceperunt,
præfulciendum nomine atque hone-
standum putent. etenim, etsi lux que-*

EPISTOLA

dum videtur inesse in omni genere
 monumentorum, tamen haud fieri
 potest, ut eluceat prius, quam eam
 clarissimi alicuius viri illustret no-
 bilitas, & quasi lumen accendat: ut
 vitrum quamvis suapte naturâ pel-
 lucidum sit ac splendidum, nullam ta-
 men ex se effundet lucem, quae ful-
 geat ad oculos, nisi acceperit aliunde.
 Id verò cum alij sunt aliàs experti,
 tunc maximè experiuntur hoc tem-
 pore moderatores Collegij Romani
 (qui mihi mandarunt, ut hæc ad te
 scriberem) in edendis orationibus
 Petri Ioannis Perpiniani, cui etiam
 dum viveret, à summis nostræ ætatis
 oratoribus primæ deferebantur. Sum-
 ille quidem per sese illustres ac miti-
 da, sed si tuo cōcessu & munere Far-
 nesiani, ut ita dicam, Solis, omnem

D E D I C A T O R I A .

iamdudum Christianorum orbem
 admirabili sua luce complentis, fue-
 rint collustrata radiis, spes est fore,
 ut & eo videantur splendore præ-
 dita, qui nullis unquam possit tem-
 poribus extinguï. Nobis profectò ita
 faciendum fuit, non eam quidem ob
 causam, hac ut ratione ostendere-
 mus gratum animum ac memorem,
 erga augustissimam familiam tuam,
 cum ex eorum simus ordine religio-
 sorum hominum, quem Põtifex san-
 ctissimus atque optimus abavus tuus
 decretis cõstabilivit amplissimis, in-
 vietissimus avus beneficiis auxit:
 nunc etiam duo illi ALEXANDRI,
 Christianæ alter militia fulmen pa-
 ter tuus, alter lumen togæ, patrius
 magnus, ita fouent atque ornant, ut
 nihil nostram eos observantia fieri

EPISTOLA

possit ardentius. Enimvero immortalia hec sunt omnia erga nos, ac planè diuina promerita, & quando commemoratione ac verbis pro dignitate prædicari non queunt, assiduâ potius, ut fit, recordatione sacròque silentio venerãda: non hãc igitur ob causam, sed ut ab his initiis tu etiam incipias de nobis, quasi de tuis clientibus, bene mereri. Quanquam erit tibi, illud ubi feceris, nonnulla fortasse, ex factò, vel gloria, vel voluptas. Dabis lucem operi, nisi nos amor fallit, pulcherrimo: in quo non est, quod hoc aut illud visendum præ ceteris esse contendam, cum apta quædam & æquabilis totius corporis cõpositio admirationem singulis partibus abstulerit: illud unum nõ minus verè quàm liberè dixero. Perpinia-

DEDICATORIA

num felici quâdam ac perpetuâ Ci-
 ceronis imitatione consecutum vide-
 ri, ut eum tanquam Ciceroni simi-
 lem posterî imitentur. Nec erit iniu-
 cundum ista ætate, in qua ductis ve-
 luti lineis exarsisti ad propriam ge-
 neris tui virtutum speciem expri-
 mendam, earum lectiōe, atque ad eò
 animadversione rerum, quæ hoc vo-
 lumine continentur, quasi colores pa-
 rare quibus efficias quod instituisti:
 ut ubi excellens fueris orator verbo-
 rum, quod de Achille scribitur, fortis
 idem ac strenuus rerum actor exsi-
 stas. Quod non dubium est, quin v-
 trumque multò & melius & feliciter
 assequare, quàm is qui à Phœnice
 olim præcepta accipi ebat pulehra di-
 cendi, magnâque faciendi: cum divi-
 no prorsus consilio dat~~ur~~ tibi sit, ut

E P I S T O L A

ad omnem exerceare virtutem, non
 in seua illa ac turbulenta praeliorum
 tempestate & procella, sed in magi-
 stra optima, non tantum alumna
 tranquillissima pacis atque otij: in
 aula videlicet florentissima A L E-
 X A N D R I F A R N E S I I C A R-
 D I N A L I S: qui cum tot abundet
 laudibus, ut quot sunt homines, tot
 propè videatur habere laudatores, in
 eo tamen laudando nihil dici tam
 amplum ac magnificum potest, quin
 plurimis omnino partibus ab eis vir-
 tutum praestantiâ copiâque superetur.
 Ex huius porro Herois tam singularis
 disciplina, aut, ut dicatur audaciùs,
 officina clarissima, à qua semper vi-
 ri, fortissimi animi, summi consilij,
 diuinae pietatis ac religionis, bello-
 rum duces, Christiana senatores &

prin-

B E D I C A T O R I A.

principes Reipubl. ipsi etiam Pontifi-
ces maximi exstiterē: qualem te &
quantū ODOARDE, speremus futu-
rum, cū ad egregiam istam indolem
summae probitatis & ingenij tale ac
tantum exemplum quotidianum &
domesticum accēsserit? Perge, adoles-
cens illustrissime & optime, atque
in praclara emulatione FARNE-
SIORVM Principum, quorum non
antiquorum modō & virtute fun-
ctorum, sed viuorum etiam & spi-
rantium, exemplar propositum tibi
esse debet, ne illam quidem laudem
neglige humanitatis erga sodalita-
tem nostram & beneuolentiae: ut
quod illi sua primū sponte, id est,
Dei, ut arbitramur instinctu, dein-
de etiam voluntate fecerunt: tu si-
militer, in tuendis eorum in nos be-

E P I S T O L A

neficiis, nobisque omnibus comple-
tendis, & iudicio tuo, & aliquo etiã
fortassis officio adductus facere vi-
dearis. Quod etsi, quae tua est facili-
tas, libenter facturum te esse confidi-
mus, nihilominus tamen hunc ad te,
cuiusmodi est, Perpinianarum ora-
tionum libellum, nunc per te primum
FARNESII fulgore nominis illu-
minatum non molestum certè flagi-
torem, sed modestum tantummodo
admonitorem, allegare volumus.
Vale.

Ex Collegio Romano Societatis
Iesus prid. Non. Martij,
CIO. IO. XXXVII.